

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1037

1621

A S C E T I C I .

1622

Commentarii in Alexandri de Villa Dei O. M. Dolensis an. 1209. compositum Doctrinale Puerorum Pars I. et II. Pars vero III. a

manu minus eleganti. Grammatica haec versibus, quorum initium:

Scribere clericulis paro Doctrinale novellis &c.

tradita et demum Sec. XVI. Scholis emota magnum Commentatorium syrma traxit, quorum plures enumerat Leyserus in *Hist. Poet.* p. 767. et *Fabricius Bibl. med. Act. L. I. edit. Mans.* p. 67. Atque hos inter Noster Glossam suam ita orditur: *Ignoratis principiis necesse est et artem ignorare. Hec propositio a deo monita est tam autoritate quam ratione &c.* Grammaticam ab *Alexandro* conscriptam fuisse, ait *Glossator*, ad preces cuiusdam episcopi scilicet leodinensis, quod non consonat Narrationi a *Leysero l. cit.* exhibatae; oriundum praeterea vult *de villa iudei sita iuxta parisius versus occidens*, que gallice dicitur *yuijs*, quod apud latinos dicitur *iudeus*. Et extat non minus *Villa Judaei* (*Villejuif*) inter *Paristos* et *Meledunum*, quam *Villa Dei* (*Villedieu*) in infer. *Normannia*. Sed nihil decido. Ad calcem P. I. sed recentiore paullo calamo habetur: *Explicit opus prime partis Doctrinalis per manus iohannis Zebinger filius (sic) ciuitatis. Clausula P. II. improbe derasa est; Clausula vero P. III. est hujusmodi: Finitum est istud commentum anno domini M° quadringentesimo primo sabbato die post invencionem sanæ crucis. Mox majusculis: Explicit commentum super tercia par-*

te diga reuerendi Magistri hengnini pronunciatum per reuerendum Magistrum iobannem kilnigstain et reportatum per oswaldum de chufstain. Ex his primum, quem Henningum malim, Commenti Autorem, alterum Praelectorem, tertium Tyrolensem et Descriptorem habeo; hoc enim sensu valebat olim Reportare.

Adfixi fol. 11. p. 2. Περιγραμμα repertum in Codice hujus tenoris: Magister Briccius de Cilia (seu Celeja) breui legere incipiet primam partem alexandri doctrinalis locum horamque intimaturus. Philosophis Vien. Vir hic intra annos 1476—85. ter Decanus praefuit.

DCLXXXVII.

*Codex membraneus lat. Sec. U. 169 XV. Folior. 72. f. min. nitidissime perscriptus, coloribus speciosus, quondam Math. Corvini, ut declarat Theca, licet picturata ejus Insignia primo folio ab improba manu resecta fuerint, dein Job. Fabri Ep. Vien. sequente rubrica gaudet: Incipit tractatus qui dicitur *Apologiticus doctoris greci Cirilli de greco in latinum translatus diuisitus in quattuor libros. primus est contra imprudentiam. Secundus contra superbiam. tertius contra cupiditatem et quar-**

1623

C O D I C E S

1624

tus contra luxuriam. Séquitur *Prohemium:* Secundum Aristotilis sententiam in problematibus suis. Quanquam in exempla adiscendo gaudeant omnes, in disciplinis moralibus hoc tamen amplius placet. &c. Libris singulis Elenchus Apologorum suorum praefixus est, et ad calcem rursus minio: *Explicit Apolegiticus Cirilli episcopi grecorum.* Translatus de greco in latinum. 1443. Augusti. En igitur Exemplar, ad quod Balth. Corderius editionem suam, de qua mox, adornavit, e cuius cum Codice collatione disces, quantam libertatem sibi Vir ille ad perponendam dictionem sumserit, quod nolle; Lectores enim in errore confirmare potest, *Apologos* hos re ipsa e graeco traductos fuisse.

DCLXXXVIII.

U. 84 Codex chartaceus lat. partim Sec. XV. partim XIV. Folior. 193. 4. diversis manibus conscriptus, partimque per duas columnas, partim lineis longis exhibit sequentia: I. ut in praevio Elencho dicitur, *Quadripartitum Cirilli*, id est, *Libros IV. Apologorum* moralium, quorum I. contra Imprudentiam, II. contra Superbiam, III. contra Avaritiam, IV. contra Luxuriam dirigitur. Prologus ita inchoat: *Secundum Aristotilis sententiam in problematibus suis* quanquam in exemplis gaudeant omnes in addiscendo in disciplinis moralibus, hoc tamen amplius placet, quando structura morum

ceu ymagine pida rerum similitudinibus palacium virtutis ostenditur &c. Propter hoc fili mi karissime informatua iuuentutis tue documenta moralia — trademus &c. Itaque Liber I. 27. II. 30. III. 27. IV. 11. *Apologos* continet. Veritas, quam quivis docet, minio praefixa est. V. g. Semper disce et in extremis horis sapientie magis stude. Actores Vulpes et Corvus. *Vulpes decrepita* ardens cupiditate &c. Nichili sibi homo est sine sapientia. Actores Aquila et Sol. In lucidioris aeris sublimitate aquila transcendens &c. Inventos hosce in Codice membraneo Corviniano, qui itidem, ut praesens, ad Job. Fabrum Ep. Vien. et ab eo ad Bibliothecam Collegii Acad. S. J. pervenerat, quemque ante produxi, *Apologos* pernitide, ut vix quidquam hodie e prelis hujatibus emergere videas, in lucem dedit, phraesi tamen satis mutata, *Balth. Corderius* S. J. Theol. Prof. typis Gre gor. Gelbhaar 1630. 12. inter *Cyrillos Alexandrin.* et *Hierosol.* incertus, et e graeco conversos autumans. Quod nolle Viro doceo accidisse; primum enim stilus ipse Autorem latinum sequioris aevi manifeste prodit, dein nequam *ἀνεκδοτον τι* promxit *Corderius.* In meo ad *Annales typogr. Maittairei Suppl.* P. II. p. 549. quatuor indicantur horum *Apologorum* Editiones Sec. jam XV. s. I. et a. vulgatae, quibus e *Panzetti Annal. der alt. deutsch. Literatur*, Norimb. 1788. p. 445. 4. addo